

remediorum materiam, debitæ præparationis suscipiendæ gratia, admiscere. Possent ipse talia proferre, quæ memorandum huius remedij euentum certissima fide comprobarent. Sed malo alienis testibus, irreprehensa auctoritate plus præstituris, inniti. Galenus, in locum medicamentorum enumeratione, infusum cõmendat Nicostrati, quo etiã Menãder sit vsus, quod præter Sulphur & Gypsum, tres quoq; Stibij drachmas recipit. Nicolaus Myrepicus, inter recentiores Græcos non postremus, antidoti cuidam, epilepsiæ, apoplexiæ, manniæ, & quartanæ feбри oppositæ, lapidem Antimonij admiscet, quem, vt ait Fuchsius, more Serapionis, & aliorum quorundam Antimonium vocat, quod nervos roborandi facultate polleat. Meminit Andreæ Galli, medici Tridentini Matthiolus: cui post ventriculi pulmonumq; inflammationem & cordis tremorem suffocans Catharrus, maiorem viribus prosternendis metum allaturus, importuni auctarij vice, ex abundanti accesserit. Hunc tandem post irritum vsum multorum remediorum,

pro-

*Lib. 9. c. 5.*

*Sect. 1.*

*cap. 470.*

*Lib. 5. in*

*Diosc. c. 59*